

Andreas vero Corsalius scribit duas nubeculas fatis magnas circa polum versari, et inter eas stellam esse a polo gradibus circiter XI distantem. Supra quas cerni ait crucem admirabilem, inter quinque stellas, quæ eam circundant, cum aliis stellis quæ cum illa revolvuntur procul a polo gradus XXX. Quæ tante sit pulchritudinis ut nullum cœleste signum ei possit comparari. Alii quoque earum navigationum nautæ, de Cruce hac, quam voce Hispanica Crusum vocant, mentionem fecerunt. Hæc de fulgorum sidereorum differentiis. Magnitudo vero a duabus potest provenire causis. A floris scilicet copia, et multitudine, ad stellam formandam conflua. Unde sex illæ stellarum magnitudines ab Astrologis observatæ, quarum maximam dicunt Terra esse maiorem centies minimam vero vicibus XVIII. Minores his, instrumentis suis, non comprehenderunt. Sunt tamen innumerabiles quæ hyeme, præsertim sereno cœlo, conspiciuntur. Maxima autem omnium ea forte est quam Vespucius observavit graduum XXXII circumferentiam habere. Altera magnitudinis causa est maior a nobis recessus atque minor. Sicuti enim, Venus quando est nobis proxima interdiu etiam conspicitur; quando vero longissime a nobis distat, apparet, longe minor. Quod et reliquis planetis accidere Astronomi docuerunt. Idem est de iis quas fixas vocant, reputandum. Nam quæ hyeme conspiciuntur, maximo etiam apparent a nobis, sed inter se impari abesse intervallo. Ac forte aliæ sunt, quæ nostrum visum fugiunt, et ita Empyreum recesserunt. Hos autem recessus et propinquitates eis Conditor assignavit, quia universo cognovit expedire. Deus enim nihil frustra facit. Disposuit quoque et positionibus eas, et intervallis, certis numeris et mensuris, nobis quidem ignotis, ipsi vero notissimis, ad universi nimirum beneficium, et perfectionem. Atque hæc omnia fecit, ut cœli gloriam eius enarrarent, et laudem annunciaret firmamentum. In quo siderum habitacula esse iussit.

*Finis Decimi quinti Libri Pancosmiæ.*